



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigesimo-Octavo De Matrimoniis, &  
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Qui possint dispensare in impedimentis Matrimonij dirimentibus. §. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

pius summarie non citato adversario cognoscere debet, quia verosimili apparet audiendus est, si minus repellendus. Adhuc autem debet nova querela, non utique libello proposito, quia secundum priorem instantiam transit sententia in rem iudicatam, ex Textu in cap. ex litteris ad finem, de integritate restitu. proponendaque est querela coram eo Iudice, qui ad rem potest per simplicem querelam, qui est ipse coram quo prius causa matrimonialis acta fuit, vel agi poterat. Secundo advertunt sententiam in causa matrimoniali transire in rem iudicatam quoad expensas, in quibus succumbens condemnatus fuit, quia ex firmitate huius condemnationis nullum peccatum fovetur, quae est ratio retractandi sententiam circa matrimonij nullitatem. Ex quo evidenter inferitur, si observata sententia ex consensu utriusque coniugis peccatum cesset, ut contingit, cum his movetur circa matrimonij valorem ob impedimentum metus, vel conditionis leuissimae ignorare. Et hic qui allegavit impedimentum succumbit, quia pronuntiata sententia valuisse coniugum legitimo tempore non appellavit, aut appellationem non est prosecutus, non potest adversus sententiam latam insurgere, quia ex huius observatione nullum est peccatum.

Pro complemento doctrinae de impedimentis matrimonij supererat dicendum de impedimento coactionis, & clandestinitatis. Sed de his disp. 2. ubi de matrimonio coacto, & clandestino late egimus.

PUNCTUM VLT.

De dispensatione impedimentorum matrimonij.

Plura in presenti examinanda tract. 2. de legib. disput. VII. de dispensationibus, pro tenuitate nostri ingenij enodandis, idcirco illis suppositis quae propria fuerint huius puncti, decidemus.

§. I.

Qui possint dispensare in impedimentis matrimonij dirimentibus?

1. In impedimentis iure naturali, & Divino dirimentibus nulla humana potestas dispensare potest. Secus in impedimentis iure Ecclesiastico dirimentibus.
2. Praeter summum Pontificem nullus alius iure ordinario in praedictis impedimentis dispensare potest.
3. Hinc fit iure ordinario non posse Episcopum dispensare in praedictis impedimentis.
4. Neque item delegatus summi Pontificis, nisi ei specialiter committatur.
5. Commissarius Cruciatum ex delegatione potestatem habet dispensandi in impedimento affinitatis ex fornicatione provenientis.
6. Deinde Nuntij Hispaniarum facultatem specialem habent dispensandi ante & post contractum matrimonium in impedimento publicae honestatis.
7. Ratione urgentis necessitatis posse Episcopum dispensare cum his, qui bona fide impedimento ligati contraxerunt, ut matrimonium ratificent, docent Doctores committer.
8. Explicatur qualis sit urgentis necessitatis hanc potestatem concedens.
9. Praedicta potestate gaudet Episcopus non solum post contractum matrimonium, sed etiam ante, si casus necessitatis exigentis dispensationem occurrat.
10. Aliqui asserunt posse Episcopum post matrimonium contractum, dispensationeque subreptitia obtenta dispensare in eo impedimento dispensationem Pontificis confirmando.
11. Hac extensio non approbatur.
12. Vicarius generalis Episcopi non gaudet hac facultate.
13. Resolvitur posse Episcopum praedicto Vicario eam facultatem concedere.
14. Satisfit oppositis fundamentis.
15. Plures Doctores censent non posse Episcopum dispensare in impedimentis matrimonij superuenientibus petitionem debiti interdicentibus.
16. Verius est spectata consuetudine hanc Episcopis facultatem esse concessam.
17. Ob eam consuetudinem possunt Episcopi dispensare, ut debiti petant qui voto castitatis ligati matrimonium contraxerunt.
18. Societatis Religiosi, aliquique Mendicantes destinati a suo Provinciali facultatem habent dispensandi ad perendum debitum, cum his qui voto castitatis ligati contraxerunt.

Ferd. de Castro. Sum. Mor. Part. V.

EX supra dictis constat aliqua esse impedimenta iure Divino, imò naturali matrimonium impediencia, alia vero solo Ecclesiastico. In impedimentis iure naturali, & Divino matrimonium impediencia, qualia sunt impotentiae, & ligaminis, & secundum communem sententiam consanguinitatis in primo gradu nullus potest dispensare, quia nulli inveniuntur haec concessa potestas: ut colligitur ex his quae diximus d. tract. 3. disp. 6. punct. 2. & 3. At in impedimentis, quae à iure Ecclesiastico proveniunt, optime potest Pontifex dispensare, sicut si addit causa, valide ea non interveniente, siquidem ab eius voluntate habent esse matrimonij impedimenta, ut latius dixi d. disp. 6. punct. 1. Solum erat dubium, An Pontifex dispensando in impedimento, quod matrimonium dirimebat, quo sublato coniuges denuo contrahunt filium illegitimè conceptum legitimum reddat non solum quoad officia Ecclesiastica, sed etiam quoad secularia. In quo dubio etsi plures negaverint, probabilius censuimus affirmativam partem tract. 13. de benef. disp. 4. p. 1. §. 5.

Praeter summum Pontificem nullus alius iure ordinario in praedictis impedimentis dispensare potest, quia in lege Superioris nequit inferior dispensationem concedere, nisi ab ipsomet Superiore iure, vel consuetudine reperitur concessum. Ut diximus d. disp. 6. p. 5. At nec iure, nec consuetudine reperitur posse alium à Pontifice iure ordinario in impedimentis dirimentibus dispensare. Ergo horum dispensatio solum est summi Pontificis. Sic docuit Anastas. Germanus de sacrorum immunitatib. lib. 3. cap. 11. n. 105. Tolet. lib. 7. sum. cap. 18. num. 5. Gutier. de matrim. cap. 12. num. 2. Sanch. plures referens lib. 8. disp. 6. n. 14.

Hinc fit in his impedimentis iure ordinario non posse Episcopum dispensare, quodque de impedimento affinitatis, seu consanguinitatis dictum est à sacra congregatione teste Farinacio volum. 4. decil. concil. sess. 24. cap. 5. ad finem. ibi. Episcopus auctoritate ordinaria non habet facultatem in quibus adhibus affinitatis, seu consanguinitatis à iure prohibitis contrahentes matrimonium dispensandi. At idem est de aliis impedimentis. Quare non est audiendus Dominicus. Sotus in 4. d. 4. 2. quest. 1. art. 1. ante solutionem ad primum principale, asserens posse Episcopum dispensare in impedimento cognationis ortae ex Baptismo tempore necessitatis collato. Et q. 2. articulo. 2. in fine corp. quem sequitur Ludovic. Lopez 2. part. instruct. cap. 51. in fine. Eman. Saa, verbo Matrimonium, ubi de impedimentis dirimentibus num. 6. asserens dispensare posse in impedimento cognationis legalis. Et d. 41. unica art. 2. in fine. Cui adharet Ludovic. Lop. tract. de matrim. cap. ultim. vers. propterea. Saa, verbo matr. ubi de impedimentis dirimentibus n. 12. dicens in impedimento publicae honestatis ex sponsalibus ortae, si expeditissimum non sit accessus ad Pontificem posse Episcopum dispensare. Non inquam Sotus, neque alij Doctores ipsum sequentes audiendi sunt, quia nullo fundamento nituntur, cuius virtute in his impedimentis hanc potestatem Episcopo concedant, cum in aliis impedimentis ex omnium ferè sententia denegetur. Sicut rectè notavit Sanchez dicta disp. 6. n. 17. Gutier. tract. de matr. c. 12. n. 4.

Secundo fit in his impedimentis neque Legatum summi Pontificis potestatem habere, nisi ei specialiter committatur, quia in dispensationibus non habet Legatus à latere ampliore facultatem in provincia sibi commissa, quam Episcopus in sua diocesi: sicut docent Glossa in cap. quia circa, verbo à sede. Et cap. quod dilectio, verbo indulgentiam de consanguinitate, & affinitate. Innocent. in cap. ex parte num. unico de Transactionibus. Et ibi Immoles num. 6. Abbas in cap. quod translationem, num. 9. de officio legati. Couarrua. de sponsal. 2. part. cap. 6. §. 10. num. 1. Anton. Cuchus lib. 2. in fin. maiorat. tit. 5. num. 141. Coninch. disp. 3. dub. 3. concl. 5. Gutier. de matr. cap. 12. num. 3. Sanch. lib. 3. disp. 6. n. 15. & alij passim.

Dixi iure ordinario, nam ex delegatione Commissarius Cruciatum potestatem habet dispensandi in impedimento affinitatis ex fornicatione provenientis cum his, qui servata forma Trident. Conc. sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim. contraxerunt hoc impedimento ligati, si tamen ex parte vnius contrahentis bona fides adfuerit tempore contractus matrimonij, ipsique declarata fuerit eius nullitas, tamen causa specialis non declaratur, ut aduertit Sanch. lib. 8. disp. 6. n. 23. Gutier. c. 12. num. 8. Coninch. disp. 3. dub. 3. concl. 6. in fine. Gaspar Hurtado de matrim. disp. 26. difficult. 2. num. 8. Basilus Ponce, lib. 8. cap. 13. num. 8. Insuperque potestatem habet legitimandi prolem susceptam, & suscipiendam ex eo matrimonio. Quod intelligendum est quando fuit suscepta utriusque contrahentis mala fide, ut aduertunt Sanch. Coninch. Basil. & Hurtado. supra. Nam stante bona fide ex parte vnius proles inde concepta legitima est iuxta Textum in cap. ex venore. Qui filij sint legitimi. Hanc potestatem dispensandi, & legitimandi prolem exercere potest Commissarius etiam praesente Pontifice, quia est ei ab eoque vlla restrictione concessa, sicut notantur Sanch. Basil. Coninch. & alij supra.

Deinde Nuntij Hispaniarum facultatem specialem habent dispensandi ante & post contractum matrimonium, in impedimentis

dimento publicæ honestatis, legitimandique prolem suscipiam, teste Nicolao Garcia, 11 part. de beneficiis, cap. 5. num. 367. quem approbare videtur Basil. Ponce, lib. 8. cap. 13. num. 7010.

7 Ratione tamen virginitatis necessitatis posse Episcopum dispensare cum his qui bonâ fide impedimento ligati contraxerunt, ut matrimonium ratificent docent communiter Doctores, Sylvest. verbo dispensatio, quest. 9. §. decimoquinto. Armilla ibi: num. 20. Angel. num. 5. Nauar. cap. 22. num. 85. Sanch. lib. 2. disp. 40. num. 3. Coninch. disp. 33. dub. 3. concl. 7. Valq. 1. 2. disp. 178. cap. 2. num. 16. Rebell. 2. part. de obligat. iustit. lib. 3. quest. 5. num. 20. Salas de legib. disp. 20. sect. 3. num. 25. Basilius Ponce, lib. 8. cap. 13. num. 2. Riccius praxi decis. 261. Gaspar Hurtado disp. 26. de matr. difficult. 2. num. 6. Gutier. de matr. cap. 49. num. 7. & alij plures apud ipsos. Ratio, quia cum hæc facultas dispensandi animarum bono maximè expedit, non est verosimile Episcopis denegatam esse à Pontifice, præcipuè cum ipse Pontifex ignorare non possit passim Episcopos hac facultate vti, Doctorè que litteris, & scripturis mandare ea vti posse.

8 Vt autem hæc potestate Episcopus utatur virgens necessitas esse debet, qualis est si coniuges absque graui inconuenienti separari non possunt, neque pro dispensatione obtinenda est facilis recursus ad Pontificem, vel ad eum qui vices Pontificis habet, tum ob pauperatam, tum quia Pontifex, & præuilegiatus longè distans, & interim coniuges incontinentiæ periculum patiuntur, vti aduertunt prædicti Doctores. Neque pauperibus coniugibus obligatur Episcopus pecunias concedere, ut dispensationem impetrent, sicuti asseruit Gab. Vafq. loco citato: quia alia opera nobiliora Episcopo offerri possunt, in quæ suam pecuniam expendat, ut bene Salas, de legib. disp. 20. sect. 3. num. 27. Sanch. lib. 4. sum. cap. 40. num. 39. Basil. Ponce, lib. 8. de matr. cap. 13. num. 3. Et latius diximus dicta disp. 6. de legib. p. 5. num. 9. Item impedimentum debet esse secretum, aliàs non verget necessitas obtinendi ab Episcopo dispensationem, vti docuerunt pluribus relatis Riccius, Sanch. Coninch. Basil. loc. allegatis. Præterea debent coniuges matrimonium bonâ fide contraxisse, quia non præsumitur Pontifex aliter velle facultatem Episcopo concedere: coniuges enim mala fide contrahentes digni non sunt Ecclesiæ benignitatem experiendi, cuius salubria præcepta temere contempserunt. Vnde si temerè, & malitiosè omnis denunciationibus contraxerint, nequaquam poterit Episcopus dispensare ob rationem Concil. Trident. sess. 24. cap. 5. de reform. matr. quia eius auctoritatem contempserunt, indignique sunt experiendi Ecclesiæ benignitatem, sicuti aduertit Sanch. Coninch. & Basil. loc. alleg. Quinimò Nicol. Garcia 11. part. de beneficiis, cap. 5. num. 357. vtriusque coniugis bonam fidem ad hanc Episcopalem dispensationem exigit; aliàs coniugi malâ fide contrahenti dispensatio concederetur. Sed rectius Thom. Sanch. lib. 2. disp. 40. num. 4. Et Basil. Ponce, lib. 8. cap. 13. num. 4. censent vnius coniugis bonam fidem sufficientem esse ad hanc dispensationem concedendam, quia stante vnius coniugis bonâ fide censetur matrimonium bonâ fide contractum. Argum. cap. cum in ihibitorio de clandestina desponsat. Et cap. ex tenore Qui filij sint legitimi. Neque æquum erat, ut malitia vnius alteri noceret, potius namque benignitatem Ecclesiæ decet, ut ratione innocentis nocenti beneficiat.

9 Prædicta potestate gaudet Episcopus non solum post contractum matrimonium, sed etiam antea, si casus necessitatis exigentis dispensationem occurrat, sicuti occurrere potest, cum aliquis morti proximus matrimonium contrahere astringitur ob legitimandam prolem, ob restaurandum honorem ob discordias sedandas, vel ob propriæ animæ salutem, vti docuerunt Sanch. lib. 2. disp. 40. num. 7. Gab. Vafq. dicta disp. 178. cap. 2. Salas de leg. disp. 20. sect. 3. Basil. Ponce, lib. 8. c. 13. num. 6. Gaspar Hurtado, disp. 16. diff. 2. num. 7. Et colligitur ex cap. 2. de desponsat. impuber. ibi: Distinctis inhihemus, ne aliqui ante ætatem canonibus præscriptam coniungantur, nisi forte aliqua virginitatis necessitate interueniente, ut potè pro bono pacis talis coniunctio toleretur. Toleretur inquam non permissiue, sed approbatiue, ut aduertit Basil. Ponce, d. cap. 13. num. 6. Ergo ex virginitatis necessitate ante contractum matrimonium potest Episcopus in impedimento ætatis dispensare, sed eadem est ratio in aliis impedimentis. Ergo in omnibus admitti debet hæc dispensatio. Ratio autem id manifestè conuincit, idèò namque conceditur Episcopo potestas dispensandi in his impedimentis matrimonio contracto, quia communi Reipublicæ bono, animarumque saluti expedit, ne virgente necessitate homines remedio salutari destituantur: at ante matrimonium contractum virgere ea necessitas dispensationis potest, vt compertum est. Ergo concedenda est Episcopis hæc potestas.

10 Ad hæc reduci potest sententia Glossæ, Cardinalis, Hostiensis, Henrici Alexand. de Neao, & aliorum in cap. quia circa, de consanguinit. & affinit. Speculatoris tit. de desponsat. §. nunc de Episcoporum, num. 17. vers. 144. Seluæ beneficior. 4. part. 27. num. 140. Bertrachini tract. de Episcopo, lib. 4. part. 2. qu. 49.

num. 139. vers. 141. Conrad. in templo iudic. lib. 2. cap. 5. de Episcopo §. 4. num. 10. vers. 140. Gut. de potest. Pontificis c. 17. vers. 127. sub dubio Basilius Ponce, lib. 8. cap. 13. Et Gaspar Hurtado disp. 26. difficult. 2. asserentium posse Episcopum post matrimonium contractum dispensationeque subreptitiâ obtentâ dispensare in eo impedimento, dispensationem Pontificis confirmando. Quia id videtur concessum in d. cap. quia circa, quatenus Pontifex consultus de his qui subreptitiâ, dispensatione contraxerunt respondit Episcopo interroganti: Dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione videas graue scandalum imminere, illa namque dissimulatio dispensatio est. Nam licet dissimulatio superioris, quæ suo facta, & impunitate fit non sit dispensatio, ut probat Textus in cap. cum iam dudum de præbendis: at dissimulatio verbis facta dispensatio censeri debet, quia est quædam approbatio.

Hæc tamen extensio mihi non probatur, quia nullo fundamento nititur. Nam ex Textu in cap. quia circa, nullatenus colligi potest Pontificem Episcopos hanc potestatem concessisse, ad summum enim probatur eo casu datam fuisse illi Episcopo eam facultatem, non tamen inde inferendum est omnibus Episcopis datam esse. Sed neque hoc ex prædicto Textu probatur. Non enim Pontifex alicuius dispensationis meminit, sed solum dixit ob graue scandalum ex separatione imminens permittens esse illos coniuges in sua bona fide perseverare. Si autem ipse Pontifex dispensaret, vel facultatem dispensandi Episcopo concederet, monendi essent coniuges, ut matrimonium reualidarent, quia copula subsequens cum procederet ex errore, quo credebant se matrimonio esse ligatos matrimonium constitueri non poterat, ut falso, & factis inconsequenter suis principibus existimauit Basil. Ponce, dicto lib. 8. cap. 13. num. 7. vt interpretationem legitimum Thom. Sanchez libro 2. de matrimon. disputat. 38. numero 12. impugnet.

Vicarius verò generalis Episcopi prædictâ facultate dispensandi non gaudet, tamen si eius facultate expressum esset, ut possit dispensare in casibus Episcopalis etiam matrimonialibus, quia cum ij casus non pertineant Episcopo iure ordinari, sed extraordinario, ob virginitatem necessitatem non censetur Episcopis, vti docuit Henric. lib. 12. c. 15. num. 1. Sanch. lib. 2. disp. 40. n. 9. & 10. Gutier. de matr. cap. 49. num. 12. & 13.

An autem Episcopus eam facultatem suo Vicario vel alij teri delegare possit, difficultate non caret, quod iurisdictionis voluntaria commissa ex privilegio Principis delegari non potest, secundum Bald. leg. 3. num. 6. Cod. quando procurator non est necesse. Et tradit Gratian. plures referens reg. 44. num. 13. sed hæc iurisdictionis dispensandi in casu virginitatis necessitatis commissa est à Pontifice Episcopis, ergo nequeunt Episcopi eam delegare. Et confirmari potest tum ex cap. vlt. §. fin. de officio delegati, vbi dicitur: Quod nulli cui commissum fuerit excommunicare, vel absolueri aliquos, dispensare cum irregularibus licet hæc alijs demandare, quia non iurisdictionis sed certum ministerium illi committitur: tum ex decreto Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de reformat. ibi: Et in quibuscumque casibus, concedit namque Episcopis casus occultos, ut possint ab eis per se ipsos, vel per Vicarium specialiter deputatum, quoscumque sibi subditos absolueri. Ergo ex se Vicarium deputare Episcopi non poterant, aliàs vti quid Concilium id expressit? Sed omnino tenendum est posse suo Vicario, & committere alteri potestatem dispensandi in impedimentis ob virginitatem necessitatem specialiter delegare, sicuti docuit Couarr. lib. 3. var. cap. 2. §. num. 6. Sanch. lib. 2. disp. 40. §. num. 15. Gutier. de matr. cap. 4. num. 16. Ratio ea est, quia hæc potestas à Pontifice conceditur Episcopis quatenus tales sunt. At iurisdictionis Principis privilegio, competens alicui non quæ talis persona est, sed quatenus talem dignitatem, vel officium retinet, non est delegata, sed ordinaria, & iurisdictionis ordinariæ iura habet, ut tradit Bart. in leg. ambitiosa, num. 4. ff. de decretis ab ordine faciendi. Couarr. d. cap. 2. §. num. 6. Sanch. disp. 40. num. 14. Gutier. num. 16. Ergo hæc potestas Episcopis competens cum eorum dignitati, & officio perpetuò sit annexa delegari potest iuxta Gloss. in cap. fin. de officio ordinarij. Quod adeo verum est, ut non solum possit Episcopus hanc potestatem delegare pro vno vel alio casu occurrente, postquam ipse casus euenierit, ut placuit Henric. lib. 6. de potest. cap. 14. num. 7. iuncto commento litt. O. Et lib. 14. de irregulari. cap. 19. in fine, sed antequam casus vllus euenierit poterit hanc potestatem suo Vicario, vel alteri ad omnes casus euenturos specialiter delegare. Verbum enim specialiter non specialem casum exigit, sed specialem, & expressam delegationem, ut tradit alijs relatis Sanch. d. disp. 40. n. 17. Gutier. cap. 49. num. 21.

Neque obstat oppositum fundamentum: admitto iurisdictionem commissa à Principe delegari non posse, si commissa sit personæ, secus verò si commissa sit dignitati, vel officio in perpetuum. Erat Textum, in cap. vlt. §. fin. de officio delegati respondeo id esse intelligendum, quando nudam ministerium